

scharf schliesslich die Beschlüsse der Congregation gegen den Abt Albert wurden, so wenig erschütterte das seine Ruhe. Eine durchgreifende Reform des Klosters scheint vor dem allgemeinen Sinken der Bursfelder Congregation nicht mehr erfolgt zu sein.<sup>1)</sup> Albert starb 1525, April 2, zu St. Martin in Köln. Sein Nachfolger war Jacob von Alboem (1525—1549). Er hat keine hervorragende That aufzuweisen. 1557 erwirkte sich das Kloster die Erlaubnis, dreimal wöchentlich Fleisch essen zu dürfen.<sup>2)</sup> In den Truchsessischen Wirren blieb Grafschaft treu katholisch.<sup>3)</sup>

(Fortsetzung folgt im nächsten Jahrgange.)

## De Smae. Trinitatis Mysterio.

### Dissertatio.

Scriptis D. Philippus Claramunt, O. S. B. mon. Montserratensis.

(Fortsetzung zu Heft II.—III. 1899, S. 199—212.)

#### II.

f) Hinc pulcherrima illa divinae sapientiae praeconia quae leguntur Sap. cap. 7: „Vapor est virtutis Dei, et emanatio quaedam est claritatis omnipotentis Dei sincera . . . candor est lucis aeternae et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius.“ Vapor in primis esse dicitur divina sapientia propter suam subtilitatem et munditiam, id est, propter suam spiritualitatem atque spirituales puritatem, est enim in ea, ut ibidem docet Scriptura, spiritus intelligentiae sanctus, subtilis, omnem habens virtutem, et qui capiat omnes spiritus: omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia; attingit autem ubique propter suam munditiam. Vnde cum sit una, omnia potest: et in se permanens omnia innovat, et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit. Et haec quidem secundum vaporis naturam. Nam alia insuper de causa adhibetur vaporis analogia ad descriptionem divinae sapientiae; est enim vapor, secundum originem suam, quasi exhalatio rei evaporantis; et similiter divina sapientia est emanatio quaedam claritatis omnipotentis Dei sincera. Hic autem diligenter adverte originem vaporis et originem sapientiae convenire quidem secundum analogiam exhalationis vel emanationis, sed secundum emanationis causam multum differre; non enim quemadmodum vapor elevatur ab aqua virtute Solis, ita aliena

<sup>1)</sup> Der Abt blieb im Amte. 1521 August 25, erschien er auf dem Jahrescapitel im Kloster St. Martin in Köln. Dass man gegen ihn eingeschritten wäre, ist nicht erwähnt. 1522 wird er, weil er weder selbst erschienen, noch sich genügend habe vertreten lassen, als contumax erklärt. 1523 nahm er am Capitel wieder theil. — Von einer Reform des Klosters erwähnen die Capitelsrecesse nichts mehr.

<sup>2)</sup> Urk. St. A. M. Nr. 233.

<sup>3)</sup> Tücking, a. a. O. S. 20. Vergl. Urk. 232.

virtute fit in Deo quasi exhalatio sapientiae, sed virtute ipsius Dei; unde accuratissime vocatur sapientia vapor virtutis Dei. Praeterea vapor est substantia de substantia rei evaporantis, et similiter sapientia genita intra Deum est substantia de substantia, per divinae tamen substantiae communicationem, non multiplicationem; quod aptissime Scriptura significat dicens divinam sapientiam esse emanationem claritatis omnipotentis Dei sinceram, id est claritatem de claritate, tamquam limpidum rivum e fonte manantem. Congruenter igitur adhibetur analogia vaporis secundum emanationem substantiae de substantia; sed deficiens ipsa est propter divinae substantiae simplicitatem vel indivisionem, nec non propter aequalitatem et similitudinem omnimodam inter terminum et principium hujus divinae emanationis, quae sane non verificantur de proprie dicta evaporatione. Itaque sapientia genita non ita est quasi vapor virtutis Dei ut aliquid ei desit de virtute principii, sed est virtus de virtute; quemadmodum dicitur candor lucis aeternae vel (apud Apostolum) splendor Paternae gloriae, est autem, ut profitemur in Symbolo, lumen de lumine, id est, unius divini luminis emanatio. Melius tamen dicitur, ad innuendam divinam processionem, splendor vel candor lucis quam lumen de lumine, etsi utrumque verum est; quoniam sive vis productiva principii, sive origo vel processio termini, melius significantur per conceptus distinctos rationem principii et termini respective exhibentes quam per duos casus unius et ejusdem nominis; nam cum ratio principii et ratio termini processionis diversae sint, si unum et idem pro utroque adhibeatur nomen, neutra potest per nomen ipsum designari: unde in hac dictione lumen de lumine, quamvis per praepositionem de significatur origo, principium tamen et terminus processionis ponuntur materialiter, non formaliter seu sub ratione principii et termini, quia solus conceptus luminis nihil dicit de ratione principii et termini processionis; si vero dicatur splendor luminis, in ipso conceptu splendoris, tamquam distincto a conceptu luminis, apparet habitudo termini ad principium, et proinde significatur ratio termini et emanatio a principio; et hac, ut reor, de causa sapientia genita, quamvis est virtus de virtute, in citato loco Scripturae vocatur vapor virtutis. Equidem in conceptu vaporis non involvitur virtus principii tamquam pertinens ad vaperem ipsum, sicut involvitur defectus luminis in splendore, qui et ipse lumen est: verum defectus iste satis suppletur caeteris praeconiis quibus divinam sapientiam Scriptura commendat; atque etiam utilitate dictionis, ad significandum tum divinam foecunditatem tum aeterni Verbi nativitatem, ut ex facta illius expositione patet, tam idoneae, abunde compensatur. Caeterum multiplicantur phrases ad aliquo modo significanda divina, quia prout ipsa in se sunt, neque intellectus con-

cipere, nec lingua sufficit enarrare. Et re quidem vera, quomodo Verbum Dei aeternaliter oriatur, est prorsus ineffabile; quoniam spiritualia concipere non possumus nisi per aliquam similitudinem ad ea quae intra nos experimur, intelligere autem in nobis, sive actum ipsum percipiendi spectes, sive speciem rei perceptae, accidentale est, in Deo autem totum substantiale, immutabile atque aeternum. Praeterea internam speciem qua res a nobis percepta repraesentatur, ab extrinseco accipimus, eademque ad rem intra nos intuendam opus habemus: Deus autem, essentiam suam actu percipiendi suo perfectissime comprehendens, Verbum profert in splendoribus gloriae suae, ejusdem quidem gloriae expressivum; hinc non tamquam speciem qua ipse indigeat ut in ea seipsum cognoscat, sed tamquam fructum infinitae foecunditatis suae in quo plenissime sibi complacet. Verumtamen ad imaginem Dei creata est anima nostra, unde perfectiones illas vel attributa divina quae in suo conceptu infinitatem non involvunt, puta intelligentiam, ipsa participat; et ideo, etsi infinita est, secundum perfectionem vel excellentiam, intellectionis nostrae a Dei intellectione distantia, aliquam tamen similitudinem sive actus perceptivi, sive virtutis productivae et verbi producti, eorum nempe quae circa aeterni Verbi generationem mens nostra fide illustrata in divinitate distinguit, in nobis ipsis invenimus, quoniam vere, conscientia teste, multa intelligimus, et eorum quae semel percipimus, imaginem vivam, quum ea recordamur, intra nos oriri pariter conscii sumus. Itaque comparisonem inter vitam Dei et vitam animae nostrae instituamus, quo facilius intelligantur quae de aeterni Verbi generatione intellectus nostri ruditas valeat declarare. Porro de vita oportet hic sermonem facere, quoniam divini generatio Verbi actus vitalis est, sicut omnis operatio Dei: imo totus Deus vita est, quoniam spiritus purissimus est, apud quem est fons vitae, in quo et de quo omnia viventia vivunt. Sic profecto se habet primum vivens ad omnia viventia sicut primum ens ad omnia entia: quaecumque enim vivunt, non in se, id est, a se, sed in eo vivunt; quemadmodum quaecumque sunt, non in se, sed in eo sunt: propter quod dixit Apostolus: „In ipso vivimus et movemur et sumus“: unde omnia viventia sunt simpliciter vitam habentia, et Deus solus est subsistens vitae essentia, de qua illa vitam participant; sicut omnia entia sunt simpliciter esse habentia, praeter Deum solum, qui est ipsum esse subsistens, in quo omnia constant, quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. Ipse ergo, qui est vita ipsa et fons omnis vitae, ita vivit ut nihil ei desit de perfectione vivendi: vivit proinde non modo quatenus est substantia vivens, sed etiam quatenus in vitae exercitio seu in operationibus vitalibus est actus purissimus, quippe in quo non est aliud vivere et aliud

actum vitalem edere, sed utrumque est idem formaliter, quoniam vita est activitas, activitas autem in ente absolute perfecto est actus purissimus, omnis videlicet expers potentialitatis. Ex quibus liquet generationem Verbi, non secus ac divinam intellectionem, esse formaliter ipsam vitam Dei. Et idem dicendum de actibus divinae voluntatis. In nobis autem aliud est vivere, id est, vitam habere, aliud vero actum vitalem edere: quoniam anima nostra in sua quidem substantia vita est, propter quod immortalis est ab intrinseco, moritur enim aliquid quatenus ab eo separatur vita, unde id dumtaxat mori non potest quod in seipso vita est, quoniam nequit vita separari a semetipsa; et nihilominus actus vitales animae nostrae accidentales sunt, seu possunt esse vel non esse salva substantia animae, ut experientia constat. Quod anima in sua substantia vita sit, non obscure Scriptura significat dicens: (Gen. II, 7) „Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem.“ Id est, corpori formato de limo terrae Deus animam spiratione sua creatam infudit, et ex hac unione animae et corporis factus est homo vivens. Anima ergo vita est, quoniam est spiraculum vitae, et quoniam sola unione ejus ad corpus factus est homo vivens; nisi enim anima esset vivens natura sua, ex consortio animae et corporis non exurgerent motus vitales in corpore. Anima autem, experientia teste, cognitionem rerum et affectiones non habet a sola substantia sua quin aliquid ab extrinseco recipiat; sed species rerum repraesentativas non acquirit nisi vel cum rebus ipsis medio corpore communicet, vel a Deo illi infundantur. Habet ergo anima a substantia sua activitatem vitalem in actu primo seu virtutem cognoscendi cujus actus secundus vel exercitium est actualis rerum cognitio; species autem rerum a se nullo modo habet, nec valet eas producere, sed easdem dumtaxat extraneae causae actione vel interventu acquisitas et in memoriae fundo quasi latentes excitare. E contrario autem in Deo non est actus primus et secundus cognitionis, sed actus purissimus et substantialis, ita ut per intellectionem quae non distinguitur a divina substantia, ipsam substantiam suam Deus plenissime possideat, et ideo non solum verbo ipse opus non habeat ut in eo seipsum cognoscat, sed contra a sua substantia plenissime vivens, in splendoribus sanctis illud proferat tamquam fructum infinitae foecunditatis suae. Equidem solus Deus, stricte loquendo, potest producere, id est, dare esse, quia ipse solus est qui est, quatenus caetera quae sunt, ab eo et per eum et in eo sunt: quid enim dabit creatura, quae nihil habet suum, cum vel existentiam suam non ipsa, sed voluntas Dei conservet? Videtur sane Scriptura virtutem productivam tribuere creaturae, nam legimus apud Isaiam: (cap. 66 v. 9)

„Numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? si ego qui generationem caeteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus?“ sed haec foecunditas quae creaturae tribuitur, accipienda est in sensu morali, id est, per suggestionem, veritatis praedicationem, magisterii disciplinam, etc., quo sensu Apostolus ait de seipso: (1 Cor. 4, 15) „In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.“ Etiam in sensu physico licet vim productivam asserere creaturae, sed in sensu lato, secundum mutationes videlicet quae in rebus eveniunt ex actione creaturae; mutari quippe res possunt ex actione creaturae, non esse recipere, siquidem actio creaturae habet terminum praeexistentem in quem exerceatur, non terminum qui per eam ad esse producat, nam ejus tantum est dare esse qui a seipso est. Itaque producit species in anima nostra quatenus exsurgit ex communicatione animae cum re per illam repraesentata; anima enim apta est vitalitate sua fieri quodammodo omnia, ita ut ex vitali sua cum rebus communicatione fiat in ea quaedam immutatio et assimilatio ad ipsas; unde rebus semel perceptis in semetipsis, jam earum physica praesentia opus ipsa non habet ad eas contemplandas, quatenus ad semetipsam conversa, species in se reperit repraesentativas earum. Harum autem specierum jam ante acquisitarum excitationem reproductionem nuncupare licet. Explicat ergo se vita animae ad acquirendam perfectionem quam a se non habet, nempe, cognitionem vel possessionem veritatis, non ad perfectionem communicandam; et ideo terminus activitatis animae debet esse terminus actionis unitivae, non actionis productivae. In divino autem intellectu invenimus activitatem duplicem, actionis nempe unitivae, et actionis productivae vel communicativae: unitivae quidem unionem potentiae cum objecto, non per modum compositionis ex potentia et actu vel ex substantia et accidente, sed per veritatis, id est, divinae essentiae perceptionem; productivae vero, quia cum actus intelligendi in Deo sit substantialis seu ipsa divina substantia, non aliter explicat haec vitalitatem suam nisi communicando quam habet vitae plenitudinem, quoniam a seipsa habet veritatis possessionem. Hinc illa Domini sententia: „Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso“, id est, sicut Pater non solum habet vitam, sed est quoque fons vitae, ita dedit Filio et vivere et esse fontem vitae, juxta illud: (Eccli. 1, 5) „Fons sapientiae verbum Dei in excelsis“; nam habere vitam in semetipso est habere vitae plenitudinem, seu esse fontem omnium vitae. Sic Sapientia genita est vapor virtutis Dei.

g) Notandum insuper est in divini hujus exhalatione vaporis quod quemadmodum vapor physicus et verus, est ille naturalis et quasi spontanea divini luminis effluentia, nam est emanatio claritatis Dei sincera. Ad quod intelligendum scire oportet

quod actus naturalis in Deo dupliciter accipi potest: uno modo secundum naturae vel perfectionis divinae exigentiam, et sic sub conceptu naturalis nulla est inter actiones Dei ad intra differentia: alio modo secundum oppositionem ad actum voluntarium, et sic naturalis est omnis actio Dei ad intra quae voluntatis non est elicitive, quoniam inter actiones Dei ad intra solus actus elicitus voluntatis potest esse voluntarius, actus enim alterius potentiae nequit esse voluntarius nisi quatenus in eum exercetur voluntatis imperium, quod profecto exerceri non potest nisi in actus contingentes, nequaquam in necessarios, quales sunt omnes actiones Dei ad intra. Vnde generatio Verbi non est actus voluntarius, sed mere naturalis et quasi spontaneus, ita ut sicut lumen nos, apertis oculis, naturali necessitate videmus, ita ex divina intellectione naturaliter efflorescit generatio Verbi. Et istum quidem processionis modum satis aperte innuunt dictiones emanatio claritatis, candor lucis, splendor gloriae, quas in ejusdem Verbi praeconiis enarrandis Scriptura usurpat; per ipsas namque Filius Dei velut radius a sole ostenditur a Patre procedere. Quod insuper declarari potest exponendo conditiones prolationis verbi. Verbum enim in Deo est expressio intellectionis; expressio autem intellectionis duobus tantum modis fieri potest, per signum videlicet conventionale, quale est nostrum verbum orale, quodque pendet a voluntatis imperio, et per signum formale quod ex intellectione ipsa sponte oriatur tamquam fructus naturalis ejus; nam quod non procedit ab intellectu ipso, nec per voluntatis intentionem adhibetur tamquam signum conventionale intellectionis, profecto nequit esse intellectionis expressio. Vnde cum divini generatio Verbi nequeat esse actus voluntarius, ut ostensum est, nec in divino intellectu distinguere liceat potentiam et actum, sed simpliciter ille consistat in substantiali et purissimo actu intellectionis; relinquitur quod processio Verbi Dei nihil aliud est nisi naturalis et velut spontanea divini luminis emanatio vel effluentia. Ad quod rursus intelligendum considerandum est quod non est distinguere in Deo intellectum ad percipiendum et memoriam ad species rerum excitandas, quia Verbum Dei immobiliter seu aeternaliter est actu praesens divino intellectui, et actio similiter qua producit Verbum, immobilis atque aeterna; unde non est locus reproductioni ejus: praeterquam quod Verbum Dei non producit ut in eo Deus semetipsum et creaturas cognoscat, sed est simpliciter fructus divinae intellectionis, seu ejusdem intellectionis expressio. Memoria enim, tamquam a facultate cognoscitiva distincta, ex his duobus dignoscitur, videlicet, ex apparitione in animo speciei rem antea perceptam repraesentantis, et ex nova ejusdem rei perceptione media ejusdem speciei praesentia; recordari namque aliquid dicimur, dum imaginem seu speciem

ejus intra nos intuemur, vel illud alias perceptum media ejusdem speciei in animo praesentia de novo cogitamus: non igitur est in Deo memoria, seu nequit Verbum Dei esse memoriae productus, sed ipsius divini intellectus; quod jam supra satis ostensum est ex eo quod prolatio divini Verbi divinae sit intellectionis expressio; nequit enim esse expressio intellectionis quod non procedit ab intellectu ipso, nisi ex intentione voluntatis, quae locum non habet in processione divini Verbi. Et cum divinus intellectus, ut supra diximus, non sit potentia, tamquam ab actu distincta, sed actus purissimus, liquido patet cur in divinis eloquiis dicatur Sapientia genita emanatio claritatis, candor lucis; tamquam rivus enim a fonte procedit Verbum a divino lumine, quod est intellectus Dei in actu. Procedit ergo per intellectum Verbum Dei, quamvis de Dei substantia genitum est, juxta illud Ps. 109, v. 3: „ex utero ante luciferum genui te“; quoniam Deus, teste Joanne, lux est, et ideo haec divini luminis effluentia qua generatur Verbum, communicatio est divinae substantiae; unde Verbum est lumen de lumine, quia procedit ab intellectu, simulque est Deus de Deo, quia gignitur ex utero. Non solum autem gignitur ex utero secundum communicationem divinae substantiae, sed etiam secundum foecunditatem naturae vel vitae divinae. Cujus quidem foecunditatis ratio in vita Dei vel essentia ut sic, non in intellectione, ut intellectione, est collocanda; quoniam si intellectio, ut sic, esset ratio foecunditatis, non esset locus productioni Spiritus Sancti qui procedit per amorem. Nec dicas utramque operationem vel virtutem, intellectionis nempe et amoris, rationem esse foecunditatis, unamquamque pro suo speciali productu; nam intellectio et amor in nobis etiam inveniuntur quin foecunda sint, nec in alio differunt ab intellectione et amore Dei nisi in perfectione subjecti, nequaquam vero in ratione intellectionis et amoris: ratio ergo cur in Deo foecunda sint, perfectio est divinae essentiae, cui proin perfectioni adscribenda est divina foecunditas in genere, cujus productus determinatur per exercitium cujusque specialis virtutis, intellectus nimirum et voluntatis. Itaque per exercitium virtutis intelligendi et ex foecunditate divinae essentiae generatur Verbum Dei; hoc enim intellectivae virtutis exercitium non est actus secundus potentiae activae, sed actus purus et substantialis, id est, identicus divinae substantiae; et ideo non exercetur haec Dei virtus ad veritatem assequendam, sed in veritate beatissime possidenda; et consequenter non explicatur vita intellectualis Dei in acquirendo potentiae activae complemento, sed in vitae plenitudine quae essentialiter possidetur, communicanda: unde Pater generans Filium, velut sol emittit radium vel splendorem gloriae suae. E quibus clare infertur duos actus distinguendos esse in divino intellectu, intellectionem videlicet divinae essentiae qua

Deus seipsum possidet, et generationem Verbi qua seipsum communicat; quorum quidem primus respicit operationis objectum, alter vero operationis fructum: et ideo ille est unitivus, praesupponens unionis extrema, intellectum videlicet atque essentiam quae intelligitur; hic vero productivus, cujus terminus est intellectionis fructus. De actu intellectionis vel unitivo dixi quod praesupponit unionis extrema, in eo tantum sensu quod per actum intellectionis divina essentia non producitur, sed cognoscibiliter apprehenditur, et consequenter secundum ordinem rationis ipsi actui praesupponitur, et quidem non ut objectum operationis tantum, sed ut ejusdem quoque operationis principium. Perceptionis ergo simpliciter est unio ista, non compositionis, siquidem unionis extrema non distinguuntur ab invicem nisi sub ratione principii et objecti intellectionis, aliunde vero sunt unum et idem, quia per intellectualem virtutem vel actum essentiae suae, qui utpote substantialis, ab ipsa essentia non distinguitur, possidet Deus intelligibiliter eandem essentiam. Dupliciter ergo exercetur activitas intellectualis Dei, in vita nimirum per veri cognitionem possidenda, et in eadem vita per divini esse quasi expansionem communicanda; sicuti etiam in ordine affectivo ex una parte possidet Deus vitam suam quatenus in bonitate sua sibi complacet, ex alia autem eandem bonitatem per amoris spirationem intra se diffundit. Et jam ex hucusque enucleatis apparet ratio cur Sapientia genita dicatur etiam „speculum sine macula Dei majestatis et imago bonitatis illius“. Speculum enim est purissimum, limpidissimum, in quo clarissime resplendent energia et efficacia divinae virtutis et perfectio tota divinae essentiae: imago autem est Paternae bonitatis, clare repraesentans Dei essentiam et majestatem. Nam in termino divinae generationis attendenda est ratio luminis et ratio substantiae non secus atque in principio: quatenus ergo Verbum est lumen de lumine, convenit ei ratio speculi, quia speculum est medium quo visionis; quatenus vero hoc lumen e principio manans est ipsa divina substantia, convenit ei ratio imaginis, quia imago non est medium quo videndi aliquid, sed medium in quo, quatenus id cui convenit ratio imaginis, refert similitudinem alterius. — Postremo notatu dignus est progressus Scripturae in his divinae Sapientiae elogiis enarrandis: nam primo comparatur Sapientia vapor exhalanti e re calida, et dicitur vapor virtutis Dei; per quod innuitur divina foecunditas et processio in genere, et nonnisi in confuso specialis modus processionis Sapientiae genitae, juxta congruentiam nempe analogiae vaporis quam supra declaravimus. Secundo comparatur Sapientia rivo mananti e fonte, et vocatur „emanatio claritatis omnipotentis Dei sincera“; et jam per haec verba aperte significatur qualis sit ista divina processio, sive

quoad conceptum luminis, sive quoad conceptum emanationis, juxta explicationem quam supra dedimus eorundem verborum, quatenus videlicet Sapientia genita naturalis est et quasi spontanea divini luminis effluentia. Tertio comparatur Sapientia candori lucis vel splendori quem Sol emittit; per quam similitudinem amplius declaratur ejusdem processionis modus et natura: nam haec divini luminis emanatio multum dissimilis est fluxui rei materialis, in quo habetur continuitas partium in extensione proprie dicta, et proinde secundum distinctionem partis a parte id quod fluit, numerice distinguitur secundum naturam a principio unde fluit; dum contra in processione divina ita distinguatur terminus a principio ut tamen salvetur simplicitas et numerica unitas divinae substantiae: unde lumen principii et lumen termini in eadem processione divina non sunt duo lumina numerice distincta, sed unum idemque lumen, quamvis terminus distinguitur a principio; propter quod dictio lumen de lumine non potest cum veritate usurpari ad hanc divinam processionem significandam nisi in eo sensu quod ab eo qui est lumen, procedit alius qui et ipse lumen est, per ejusdem luminis quasi diffusionem: sic, inquam, seu indirecte vel, ut ajunt, in obliquo vera est haec locutio; directe autem vel in recto est falsa, quia non potest procedere lumen a lumine, nisi duo distinguantur lumina, quia nihil procedit a semetipso vel semetipsum producit: et ideo satis non est dicere quod Sapientia est „emanatio claritatis Dei“, vel quod Verbum Dei est claritas de claritate; sed addere oportet quod ipsum Verbum est candor vel splendor lucis aeternae; per quod non modo innuitur distinctio principii et termini processionis divinae, ut alias ostendimus, sed salvatur etiam numerica identitas vel unitas divini luminis, quoniam splendor in ratione luminis non distinguitur a lumine cujus splendor dicitur. Et ita quidem necessaria est haec numerica divini luminis identitas, ut si lumen termini distingueretur a lumine principii, jam non esset Sapientia genita emanatio claritatis Dei sincera, si sincerum pro integro accipiatur; nam cum communicatio divinitas fiat absque ejusdem divisione, hinc aut eadem numerice est divinitatis in termino communicationis atque in principio, aut impossibile est ut communicatio ex integro fiat, quia productus actionis divinae qui non est idem cum Deo seu prodit extra Deum, non habet divinitatis perfectionem, sed infinite ab ea distat: unde communicatio divinae sapientiae ad creaturam est quidem emanatio sincera claritatis Dei, quatenus est pura vel incorrupta, sed non est sincera quatenus in termino communicationis nihil desit de perfectione principii, ad hoc enim requiritur ut eadem numero sit natura principii et termini. Itaque in secunda ex recensitis Scripturae phrasibus „emanatio quaedam est claritatis omnipotentis Dei sincera“, per appositum sincera

significatur obscure et indirecte vel consequenter unitas numerica divini luminis, quae clare et expresse exhibetur in tertia „candor (splendor) est lucis aeternae“. Postquam autem declarata sunt foecunditas principii et modus naturae processionis, pergunt Scriptura solius describere naturam et conditionem termini. Nam quarto comparatur Sapientia speculo sine macula, quinto autem imagini. Quae quidem duplex termini conditio respondet naturae principii quo et processionis: nam principium quo est lux, processio autem est lucis emanatio, et secundum hoc terminus est speculum sine macula: quoniam vero lux principii est ipsa divinitatis substantia, et essentia intellecta, ideo ipsa lux constituit in processionis termino Personam aequalem similemque principio, in cuius proin perfectione tota principii gloria refulget; et hoc significatur per nomen *imago*. Propter quod Apostolus, postquam dixit (Hebr. 1, 3) Filium esse splendorem gloriae Patris, addit esse figuram (characterem) substantiae ejus.

h) Ex divina igitur intellectione efflorescit generatio Verbi: sed quaeri potest quid sit ex cuius cognitione Verbum procedit, an tantummodo Patris essentia ut in Patre est, an vero etiam trinitas Personarum. Primum tenendum esse censeo, quoniam antecederet ad generationem Verbi solus Pater existit. Nequaquam prius et posterius secundum tempus aut naturae dignitatem in divinitate admittimus; sed necesse est admittere prius et posterius secundum ordinem operationum, et consequenter in trinitate Personarum, quippe quae per operationes productivas multiplicantur. Porro amare et intelligere in Deo aequae aeterna sunt; sed intelligere prius est quam amare, quoniam amor est ex intellectione: et idem dicendum de Personis ad invicem comparatis. Semper hoc in quaestionibus de Trinitate, at maxime in praesenti prae oculis habendum est, ne Personis productis aeternitas denegari videatur quando de prioritare existentiae vel posterioritate loquamur, quae in divinis Personis intelligendae non sunt nisi secundum rationem principii et termini productionis. In hoc ergo sensu asserit quod solus Pater existit ante generationem, quod idem est ac asserere in essentia divina operationi productivae prae-intellecta non comprehendi Filium et Spiritum S. in sua propria existentia, quippe qui, quamvis aeterni sicut Pater, non existunt nisi consequenter a productione, et proinde nequeunt, termini productionis cum sint, productioni praesupponi sicut principium. Consequenter Verbum non procedit ex cognitione trium Personarum (intellige, in propria earum existentia, nam bene possunt cognosci in virtute divinae essentiae) quia id in quod actus cognitionis terminatur, cognitioni praesupponitur, et sic impossibile est ut cognitio unde Verbum generatur, habeat pro termino Verbum ipsum, hinc nec Spiritum S. qui procedit a Verbo, et

fructus est amoris qui est cognitione posterior. Nec dicatur quod Filius et Spiritus S. sunt unum et idem cum Patris essentia, et ideo sunt sicut Pater objectum intellectionis unde generatur Verbum: nam in tantum Filius et Spiritus S. sunt unum cum essentia Patris in quantum sunt; sunt autem consequenter a productione; ergo antecedenter ad productionem non sunt idem cum essentia Patris, quia non sunt. — Praeterea Verbum est imago Patris, non Trinitatis, nam in Scriptura vocatur figura substantiae illius; praeterquam quod si esset imago Trinitatis, esset imago suipsius, quod esse non potest: atqui est imago objecti ex cuius intellectione procedit: non ergo Trinitas, sed solus Pater est objectum ex cuius intellectione procedit Verbum. Evolvamus hoc argumentum. Tria, ad rem quod attinet, distinguere oportet in secunda Persona, scilicet: similitudinem ejus ad Patrem; originem ejus a Patre tamquam principio productionis; et originem ejus a Patre tamquam objecto intellectionis. Porro proprietas Filius in secunda Persona importat respectum ad Patrem tamquam principium productionis, id est, generationis: proprietas Imago importat respectum similitudinis ad Patrem tamquam objectum intellectionis: proprietas autem Verbum utrumque includit, nempe, et respectum ad eum a quo Verbum profertur, et respectum ad rem intellectam cuius illud expressio est. Igitur proprietas Imago consistit formaliter in similitudine ad Patrem ratione originis, originis autem spectatae non ex parte principii producentis, sed ex parte objecti ex cuius intellectione productio fit, ideo quippe Verbum est imago quia est expressio rei intellectae, et consequenter respectus similitudinis in Verbo sub ratione imaginis non est ad Patrem ut principium productionis, sed ut objectum intellectionis, ita ut si per impossibile Pater aliud objectum loco propriae essentiae intelligeret, verbum ex intellectione generatum non esset imago Patris, sed objecti intellecti. Ergo vel dicendum quod Verbum est imago totius Trinitatis in eo sensu in quo fides docet illud esse imaginem Patris, quod est contra fidem ipsam; vel admittendum quod solus Pater est objectum ex cuius intellectione generatur Verbum. Nullus siquidem relinquitur locus distinctioni, quam forte aliquis assertioni nostrae opponat, inter imaginem repraesentativam et naturalem, quatenus videlicet Verbum dicatur imago repraesentativa totius Trinitatis secundum quod habet similitudinem rei intellectae, et imago naturalis Patris, quia generatur ab eo; nam per talem distinctionem corrumpitur vera notio imaginis proprie dictae quam modo exposuimus, nec aliud illa est nisi inane effugium. Et re quidem vera, relatio similitudinis et relatio originis a principio producente non sufficiunt ad rationem imaginis, quia conceptus imaginis conceptus repraesentationis est, non similitudinis simpliciter; repraesentatio autem

imaginis attenditur secundum originem ejus a typo vel objecto repraesentationis ejusdem; propter quod Spiritus Sanctus, qui similis est Patri et procedit ab eo, non dicitur imago Patris, sed solus Filius, qui praeter similitudinem ad Patrem et originem ab eo tamquam a principio producente, habet etiam vi suae processionis formaliter repraesentationem Paternae substantiae seu relationem similitudinis ad eam tamquam ad originalem typum, eo ipso quod procedit ut verbum intellectionis Paternae expressivum. Abs dubio autem Scriptura, vocans Filium imaginem Patris, significat aliquid proprium illius, praefatam videlicet relationem repraesentationis, in qua ratio imaginis posita est. Si ergo haec relatio attenditur in proprietate imago Filio attribuenda, inconvenienter vel minus accurate Scriptura loqueretur vocans Filium imaginem Patris, si Filius haberet repraesentationis hujusmodi relationem ad totam Trinitatem, quia sic non solius Patris esset imago, sed totius Trinitatis. Notio imaginis est quid indivisibile, et in duobus consistit, in similitudine videlicet et relatione originis ad rem quam repraesentat: unde Filius non est imago Patris quia procedit ab eo, sed quia ex natura processionis habet quod repraesentet substantiam ejus; propter quod dixi supra quod si Pater aliud objectum loco propriae essentiae intelligeret, verbum ex intellectione generatum non esset imago Patris, sed objecti intellecti; quemadmodum in nostra sensitiva cognitione contingit, nam species sensibilis quae, in perceptione cujusque rei oritur in anima, non est imago animae, sed rei perceptae. Distinctio igitur in imaginem repraesentativam et naturalem caret fundamento; praeterquam quod neque conceptus similitudinis neque conceptus originis, qui in conceptu imaginis includuntur, Filium imaginem Trinitatis appellare permittunt. Nam similitudo est ad alterum, nequit autem Filius esse imago Trinitatis, quin sit imago sui ipsius: deinde quoad originem manifestum est imaginem esse ordine posteriorem originali typo; quomodo autem erit Filius posterior Spiritu S. qui procedit ab eo? Itaque si solius Patris Filius imago est, solus Pater est objectum intellectionis unde generatur Filius, quia Filius est imago ejus ex cujus intellectione procedit. E quo tamen intellectionis objecto non excluduntur Filius et Spiritus S. nisi secundum suam propriam existentiam, quae operationes consequitur productivas; quoniam ipsi cognoscuntur a Patre in virtute seu foecunditate divinae essentiae. — Sed fortasse dices: Pater non solum cognoscit Filium et Spiritum S. in virtute essentiae, sed videt etiam eos in seipsis, id est, in propria personalitate constitutos: non potest autem cognoscere eos nisi in actu cognitionis e quo generatio sequitur, quia quidquid Pater cognoscit, unico et simplicissimo actu cognoscit, qui est actus unde generatur Verbum: ergo non solus Pater, sed tres Personae in propria

existentia sua objectum sunt intellectionis ex qua generatio sequitur. Ad quod respondeo quod oportet distinguere inter intelligere et videre. Profecto quidquid pertinet ad trinitatem Personarum, perfecte Pater intelligit in actu cognitionis unde generatio sequitur; sed visio Personarum in propria earum existentia hanc, ut patet, existentiam supponit, et ideo nequit praeintelligi generationi Verbi. Intelligere et videre in Deo utique idem sunt ex parte subjecti; verum ex parte objecti visio importat physicam rei praesentiam, ita ut actus perceptivus terminetur ad propriam entitatem ejus; quod pro intellectione non est necessarium. Haec autem visio Personarum post productionem earum non est accipienda secundum aliquam mutationem in intellectu Patris, sed dumtaxat secundum physicam praesentiam earum. Si quaeras autem quomodo sit ut multiplicatio Personarum in objecto visionis non inducat mutationem in vidente; dicas, quaeso, quomodo esse possit ut eadem multiplicatio non inducat compositionem in objecto ipso; aut quomodo actu intellectionis unde generatio sequitur, antecederet ad generationem ipsam consummato, Filius, qui generationis est fructus, eodem numerice actu intelligat quo intelligit Pater: si ergo haec vera sunt, quamvis impossibile nobis est intelligere quomodo sint, irrationabile esset, propter talem difficultatem rem explicandi, sententiam quam tuemur, non amplecti, quippe cui rationes suffragantur invictissimae, quarum quidem tanta est concludendi vis, ut ipsa principii contradictionis colluceat evidentialiter.

(Continuatio in fasc. anni seq.)

## Die ehemalige Benedictiner-Abtei Tholey.

Von Dr. Lager, Domcapitular in Trier.

(Fortsetzung zu Heft II.—III. 1899, S. 348—387.)

Auf eine besondere Bauthätigkeit in Tholey, die mit grossen Kosten verbunden war und auch Schulden verursachte, dürften wohl einzelne Urkunden aus der ersten Hälfte wie der Mitte des 13. Jahrhunderts hinweisen. Sicher wurde der Neubau nicht vor 1216 begonnen, wie aus einer von diesem Jahre datierten Urkunde hervorgeht, in welcher Erzbischof Theoderich von Trier der Abtei Tholey die Kapelle des hl. Johannes an demselben Orte, wie auch die Kirche in Biesen, etwa eine Stunde östlich von Tholey, über welche sie das Patronatsrecht bereits besass, incorporierte. Hier wird ausdrücklich auf den verfallenen Zustand der Kirche hingewiesen, woraus man schliessen darf, dass es mit den Klostergebäuden nicht besser aussah; zudem war die Armut der Mönche so gross, dass sie kaum das nöthige Roggenbrod hatten. In Anbetracht dieses kläglichen Zustandes erwies ihnen